127
DEPOZIT SERV. ARHIVELOR STATULUI R.P.R. CLUJ

Christophorus Bathory de Somlio Waiuoda Transsiluanus et Siculorum Comes etc. Nobilibus et Agilibus Joanni et
Stephano fratribus Joanni Nemes Thome Nemes alias Kis nuncupato Laurentio Illyes de Brothon Salutem
et fauorem Exponitur Nobis in personis Nobilium dominarum Julianae consortis Nobilis et Agilis
Joannis Donat de Borosnaia, necnon Barbarae Lazaar, consortis Egregii et Agilis Georgii Daczo,
ac Catherinae consortis praedicti Nobilis et Agilis Thomae Nemes Qualiter ipsae Exponentes
ad praesens pro iurium ipsarum tuitione procuratoria constitutione plurimum indigerent
essentque necessariae. Sed ipsae Exponentes tum ob loci distantiam tum pro sexus Muliebris
condicionem et fragilitatem pro constituendo procuratore nostram in praesentiam vel alium locum
credibilem venire nequirant. pro eo harum serie committimus et mandamus vobis firmiter
ut acceptis praesentibus statim simul vel duo vestrum sub omnibus alias in talibus observari solitis
Erga praefatas Exponentes personaliter accedere ibique procuratorum constitutionem earundem audire
et acceptare et tandem vos seriem eiusdem procuratorum constitucionis earundem singillatim
cum Nominibus et cognominibus constitutorum diebusque et locis constitucionis designatis Nobis
suo modo ut fuerit expedita fideliter mediante vestra relatione vel rescribere debeatis et teneamini
Secus Non facturi praesentibus perlectis exhibenti restitutis Datum in Possessione Gyalu feria quarta
proxima post festum Sancti Michaelis Archangeli Anno domini Millesimo Quingentesimo Septua-
gesimo octauo

Lecta,

1578 Octob.

62